Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatvs De Fiducia In Devm Plurimas Et Utilissimas pro vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones quascunque ingenti cum solatio & fructu ...

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. 2. Deus est munimentum sperantium in se

urn:nbn:de:hbz:466:1-50333

Visual Library

§. II.

Qui confidunt in Deo, nihil timent, quia Deus eſt munimen eorum.

FIducia in Deum præſtat animo noſtro firmam quandam ſecuritatem, quæ humanas præſumptiones longe excedens facit ut formidabiles aliis tam hominum quam dæmonum phalangas velut formicarum turbā deſpiciamus, pericula omnia contemnamus intrepidi, vires omnes creatas adverſantes velut aranearum telas perrumpamus, adeo ut malis circumdati, poſſimus ingenti cum exultatione & cordis dilatatione cum Propheta regio exclamare: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt!* ô vita omnis vitæ, quam bonum eſt eſſe tecum! ô JESU Salvator meus & Rex meus, ne permittas me obſecro unquam ſeparari à te; Quam mihi eſt facile mala nulla timere, cum bonorum omnium autore protegor! Non timebo, ſi fractus illabatur orbis, non ſi terra mihi ſub pedibus dehiſcat, non ſi montes transferantur in cor maris, nō ſi aër fulmine ac fulgure coruſcet, non ſi creaturæ omnes quaſi conjuratione factâ in me conſpirent, ut me perdant, impavidum ferient, non timebo fretus ope divinâ & cuſtodiâ protectus. *Deus noſter, refugium &*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

virtus, adjutor in tribulationibus quæ inven-
runt nos nimis: propterea non timebimus, dum
turbabitur terra, & transferentur montes in
cor maris. pſal. 45. *Dominus illuminatio mea &*
ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vi-
ta mea, à quo trepidabo? Si conſiſtant adverſum
me caſtra, non timebit cor meum. pſal. 26. In
quæ verba ſic præclarè S. Auguſtinus: prote-
gitur Imperator ſcutatis & non timet; prote-
gitur mortalis à mortalibus, & ſecurus eſt;
protegitur mortalis ab immortali & time-
& trepidabit? Fiduciæ in Deum effectus
Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non
commovebitur in æternum. pſal. 124. Mon-
dixit ſpem in Deum immutabilem (ad
hunc locum appoſitè S. Chryſoſtomus)
conſtantem, invincibilem & inexpugna-
lem. Quemadmodum enim ſi quis innume-
rabiles adhibeat machinas, montem nec con-
vellere loco nec labefactare poterit, ita etiam
ſi quis eum aggreditur, qui ſpem ſuam in Deo
collocavit, commovebit nunquam; ſtat-
mus contra omnes cœli terræque impe-
temporum injurias, tempeſtatum minas, ty-
rannorum furias, rerum viciſſitudines, ne-
tiorum infelices eventus, ſui ſemper ſimi-
mus permanet animo imperterrito, quia
damento innititur inexpugnabili, aſſiduo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

omnes repellit innoxius, triumphat inter ruinas,& ridet inter adverſos rerum humanarũ caſus. ô quanta ſublimitas, meritò exclamat S. Cyprianus, inter ruinas generis humani ſtare erectum! In hujuſmodi occaſionibus Deus ſe Deum exhibet, hoc eſt omnipotentem,& invincibilem, fortiorem omnibus fortibus, evertens & diſjiciens machinas omnes in gratiam eorum quos protegit; ibi enim plus eſt auxilii, ubi plus eſt periculi, inquit S. Ambroſius, ſicut bonus pater manu apprehenſum filium per planas vias deducit, at ubi periculum eſt lapsûs, amplectitur brachiis, & portat in ſinu, ita ut nihil hic conferat puer niſi ut geſtari ſe ſinat, adeoque quoties via occurrit difficilior, minus laborat, quàm cum plana eſt & facilis. Hoc olim promiſit Moyſes populo Iſraëlitico: *portabit te Dominus ſicut portare ſolet pater filium parvulum.* Deut. 1. Et Deus ipſe teſtatur: *Ego quaſi nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis, & declinavi ad eum ut veſceretur* Oſe. 11. Et apud Jobum dicitur: *Quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperam: & cum te conſumptum putaveris, orieris ut Lucifer,* Job. 11.